



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Consilia Evangelica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS XXIX. CONSILIA.

§. I.

In genere.

Nomine *Jachim*. 3. Reg. 7. 21. *Jachim*. Hebr. idem, quod *directio*, & rectitudo. *Booz* id est: in eo *fortitudo*. Tropolog. quilibet fidelis, & sanctus, eger columnâ duplici, ut fiat templum DEI; scilicet *Jachim*; id est, prudenti, rectâque, directione, ad discernendum id, quod agendum est: & *Boos*, id est, fortitudine ad illud exequendum. Prudentia enim præit, quasi lux; viam Virtutis, & sanctitatis ostendens: unde dexteram occupat. Corn. hic.

Quid est homo, ut sequi possit regem Factorem suum? Ecclesiast. 2. 12. Sept. pro regem, vertunt *Consilium*: quia Hebr. *Melech*, id est, rex, significat quoque Consultorem, & Consilium; eo quod regum sit consulere Republicæ. Corn. hic.

Consilium, quasi proles mentis tuæ, quasi filius cordis tui. S. Aug. tr. 1. in Jo.

In minimis exordiis maxima sunt consilia agenda: quoniam parvus error in principio, maximus est in fine. S. Cyrill. Apol. mor. l. 1. cap. 10.

Omne consilium actionis gratiâ, & propter actionem est. S. Greg. Nyss. l. 7. de lib. arbit. cap. 1.

§. II.

Consilia bonâ.

Omnia consilia tua in Deo permaneant. Tob. 4. 20. Tunc consilia nostra in Deo permanent, cum nihil fecerimus præter Domini voluntatem. Sim. de Cassia l. 15. de just. Christ. c. 2.

Testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum justificationes tue. Pl. 118. 24. Alii legunt: *Justificationes tue consilia mea sunt.* q. d. non audio, quid cordis mei intemperantia flagitet; non quæ caro concupiscat, non quid serpens suggerat, non quid sæculi votes auribus meis insonent, non quid subdole adulatorum lingua consulat, non quid falsi amici audiam verò, quid loquatur in me Dominus Pl. 84. 9. quid ab ipso illuminata ratio, quid jus, & æquitas, requirant. Denique, omnibus aliis consiliis repudiatis, justificationes tuæ, Domine, fidelissimi, & certissimi consilii mei sunt. Diez. D. 20. Pent. Conc. 23.

Manus illius plena hyacinthis. Cant. 5. 14. Quia cuncta ejus opera, quæ propter semetipsum operatus est, hyacinthi sunt: id est, celestibus plena rationibus, celestibusque consiliis; & ad eum tendunt finem, ut nos ad celestia evehant. Si autem manus plena sunt hyacinthis, nihil continere videntur, quod hyacinthus non sit. Quidquid ergo ab illis procedit, nobis hyacinthus erit. Unde tribulationes &c. hyacinthi sunt, & tanquam lapis pretiosus, accipiendi:

in celestem enim vitam nos evehunt. Manus namque DEI lateres convertunt in Sapphiros, & duos lapides in hyacinthos. Ne ergo intuearis adversa, ut à manibus hominum procedunt; sed ut à manibus DEI. de Ponte, hic Exh. 24. §. 1.

Omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi. Il. 60. 4. id est, ad ea, quæ tua sunt, facienda; & habent consilium de his, quæ pertinent ad tuam gloriam. B. Humbert. l. 5. de capit. generalib.

In lege quid scriptum est? Luc. 10. 26. Disce in consilium Legem adhibere: in ea repeties, quid agendum ad vitam consequendam. Quarentem de sua salute non mittit ad aulicos Consiliarios: ibi enim deest animæ sapientia; ibi discēs ambitionem, invidiam, factiones. Non ad domos nobilium: ibi discitur ludere; non ad domos mercatorum. A lege, non à Mundo, consilium cape. Origo perditionis nostræ: quod in operibus nostris, & electionibus, non Deum, sed Mundum, consulamus. Si laesus ab inimico Mundum consulis, dicit: vindictam quare, honorem tuere. Deus verò Matth. 5. 44. *digite inimicos vestros &c.* *In lege quid scriptum est?* Il. 30. 12. contra Israelitas: *Os meum non interrogasti.* Pl. 118. 24. *Consilium meum justificationes tue.* Stella hic.

Operatio virtutis electivæ attenditur in consilio, judicio, & desiderio. Consilium autem est in inquirendo, quid sit melius? hoc? an illud? sed melius non dicitur, nisi per accessum ad optimum: accessus autem est secundum majorem assimilationem. Omni igitur consilianti necessaria est impressio summi boni. S. Bonav. Itin. mentis ad Deum c. 3.

§. III.

Consilia Evangelica.

Quid est sanctificari? Ex. 19. 10. nisi abstinere etiam à licitis? nam qui abstinet solummodo ab illicitis, pœnam quidem evasit peccati; sed gloriam nondum assecutus est sanctitatis. Ad sanctificationem non satis est fecisse præceptum, nisi adjicias facere & consilium. S. Rupert. Abb. hic l. 3. c. 26.

Servans semitas justitiæ. Prov. 2. 8. Semitas justitiæ vocat consilia, & altiora mandata; vias sanctorum generalia præcepta. Hugo Card. hic.

§. IV.

Pete consilia, non sperne aliena.

Exempla

Ex Veteri.

Sultò labore consumeris. Ex. 18. 18. Nonne cum Moysè Deus loquebatur? & tamen consilium regendi, atque administrandi, tam magni populi à focero, alienigenâ scilicet homine,